

DE CHRISTI DOMI- NI OBSALVTEM HVMA- NAM FACTA, PASSIONE.



Martinus Galli Czernovicenus
faciebat.

Ad Lectorem.

*Sive prophana canunt, celebres seu sacra Poetae
Virgilij doctum docti imitantur opus.
Et quo plura legunt, hoc plura videtur habere.
Fons hic in exhaustis nam scatet amplius aquis.
Inspicias saltem, quæ dat tibi carmina noster
Auctor, et invenies, rebus inesse fidem,
Nam cum de castæ progeneris virginis alvo
Carminibus celebrat, verba dat ipse Maro.
Dum captum, casum, post vulnere sæva sepultum
Carminibus celebrat, verba dat ipse Maro.
Pauca nimis, vel nulla tibi, hic ego spero legenda
Quod minime sapiat, crede, Maronis opus.
Ergo est auctoris felix imitatio nostri
Nec cui vis nostro tempore agenda viro.
Facebant igitur Momi prædicimus atro
Qui carpunt, carppum se magis ire sciant.*

M. Ioannes Khernerus Plzenus
Prof. Acad. Prag.

'Anno'

CIO IO XXCVI.



CLARISSIMIS PRVDEN-
TIA, VIRTUTE, DOCTRINAQVE
PRÆSTANTISSIMIS VIRIS, DOMINO
Ioanni Ornio à Paumgberk S. C. M. Magistro mon-
tium Pragensium. D. Sebastiano Agricolaë ab Horl-
sova. S. C. M. Iudici. D. M. Paulo Christiano à Koldina, se-
natori antiquæ urbis Pragensis. D. Crueigero Evaresto.
Chvvalio. cæterisq; Dominis Literatis, Paræciæ
Diuo Nicolao sacræ, D. atq; fau-
toribus studiorum reve-
renter colendis.

S. P. D.

*Stridenti miserum stipula disperdere carmen
In tri-vijs satis haud doctus.
Ignotum ausus eram fructus dare vela per æquor
Nominis auspicio vestri
Insignes pietate viri, quos incluta virtus
Sidera ad alta vehens tollit.
Vos animi studium, studio fulcite favoris
Atque favete meis captis.
Sic vos æternum rerum qui flectit habenas
Sospitet, atq; regat Christus.*



Martinus Galli Czer-
novicensus.

1997 KK 69
AKC. 16/32

DE PASSIONE DO- MINI NOSTRI IESV CHRI- STI. PRO GENERIS HUMANI SALUTE FACTA.

FATA Deumq; cano, cœli qui primus ab oris
In terras nostri venit succensus amore:
Multa minis passus, tristem reparare ruinam
Dum studet, atq; infert mortales rursus olympo.
Donec ad extremum, fatis jactatus iniquis
In cruce, cœlum inter medius terramq; pependit
Huc ô lux cœli gressum fer, & æquori aperto
Da mecum vela, & gelidam affla numine mentem.
Ut tandem victor plenis subeam ostia remis.
Longa via & dura est, prærupta atq; aspera saxa.
Horrendi calles: dias sub luminis auras
Eductus caput vitali lumine vesci
Primus Adam, magnis donis & honoribus auctus,
Coetuiq; alipedi, vitam stellanti in olympo.
Ducenti ferè ad æquatus, tantum instar in illo:
Ut pluvixq; Hyadesq; & clara Lycaonis Arctos
Præcipientes abdant se in vastas æquoris undas.
Illi in aperto erat, & quem observent cuncta tenorem
Lumina, in obliquos iter inflectentia tractus.
Nec fuit obscurum, ut cæcis in nubibus ignes
Se rumpant, terrasq; metu, cœlumq; fatigent:
Tum genus herbarum, placido quas lumine Titan
Oceani roseos tollens de gurgite vultus
Suppositas cœlo per terras spectat ab alto,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus
Noverat, & miro superum inflammatus amore
Vnum illum cœli Regem, præq; omnibus unum

A ij

Ardebat

Ardebat repetenſq; iterumq; iterumq; vocabat
 Phæbus ab Eoo, ſeu tolleret æquore currus :
 Phæbus ab occiduo ſeu tolleret æquore currus
 O honor ô magnum decus exæquataq; cœlo
 Gloria priſci hominis, ter recti amor oſibus imis
 Continuit dextram, ter haud benefvada cupido.
 Impulerat mentem, & ſi fors non fata fuiſſent
 Vt caderet, cœcum excuſiſſet mente furorem
 Nunc etiam ſtaret res, atq; integra maneret :
 At poſtquam circumventum malus abſtulit error.
 Excuffa eſt ea mens nobis, denſæq; caligo
 Incubuit nubis menti, terræq; poli; q;
 Noticiam eripuit, circum præcordia robur
 Atq; rigor duri, impreſſit veſtigia ferri
 Abiectum recti ſtudium, fraus impia teris
 Obtinuit primas, inter mentem imaq; corda
 Cœcus amor noſtri, & curæ dominantur iniquæ :
 Quin tellus quoq; quæ ſe porrigit orbita Phæbi
 Fecit jacturam & retro ſublapſa relata eſt
 Iamq; alius toto naturæ vultus in orbe eſt
 Atq; fuit, dum terra parens ſua munia obire &
 Intractus habitandos ſecta niteſcere cœpit :
 Et niſi poſt mundi qui fundamenta locarat
 Omnipotens, nutuq; ſuo qui temperat orbem
 Auguſta qua delituit compage ſolutus
 Virginea matris tener exiluiſſet ab alvo.
 Humani generis ſcelus & malefacta piaſſet
 Omnes peccatum, mors, orcus, fauce tuliiſſet. |
 Impiaq; æternam ſenſiſſent ſecula noctem :
 Non ſecus ac fera tempeſtas, cum ſæpè coorta eſt
 Incubere mari venti, piceæ æthere nubes
 Denſantur, terræq; tenent, cœlumq; tenebræ,
 Et ni tum auricomus ſpiſſa inter nubila Phæbus

Emicet

Emicet emergens, & luce coruſcus ahenâ
 Effundat rebus radios & amabile lumen
 Nox cuncta (horrendum) atra cava circumvolet umbra :
 Hic ubi mortales artus moribundaq; membra
 Induerat lapſas res in meliora ferebat.
 Quid tibi nunc referam quæ putida monſtra repreſſit
 Morborum, fluxus, ſcabies, febresq; lepraſq; :
 Ipli ſæpè ſuos totis quando ignea venis
 Acta ſitis, nudis laniabant dentibus artus
 Mortales ægri, & Libitinæ quæſtus acerbæ :
 Incuſſum triſtè affecti miſcere parentes
 Pœonios ſuccos, medicæq; Machaonis artes
 Dum nati tabo cœpit crudeſcere corpus :
 Ergo ubi finitimos ſeſe diffudit in agros
 Fama volans, & vox vulgi pervenit ad aures,
 Imbre velut victi fluvij, de montibus altis
 Qua data porta ruunt, ſuperant camposq; viaſq; :
 Auxilium, adventumq; Dei pleno ore repoſcunt
 Ille ſimul mentes Cœleſti neſtare paſcit
 Tunc omnem vitij culpam compeſcit & aufert
 Atq; habilem facilis renovat per membra vigorem :
 Et jam paulatim Divûm reverentia, virtus.
 Et pietas, fulvo multum formoſior auro.
 Ditior & gemmis & Eo gratior oſtro.
 Juſtitiaq; ſoror terris veſtigia fixit
 Alma fides, rurſum poſuitq; cubilia latè.
 Vnde animæ primum tutò ſe credere cœlo
 Auſæ, liberius ſperabant omnia Divos,
 Cum ſubitò exorta è nova clades, triſtis & ægor.
 Nam nuper vetitos ſvaſit qui carpere fructus
 Bile tumens Satanas, Stygijs ſe ſe extulit undis
 Et quaſſans caput, hæc effudit pectore dicta.
 Heu ſtirpem inviſam & fatis contraria noſtris

A iij

Fata

Fata hominum, coelo rursus se credere tentant.
Vnius ob studium qui gressum tendit olympo:
His dictis pavidus partes cunctatur in omnes.
Incertus quid agat, causam qua parte nocendi
Inveniat, tandem hæc potior sententia visa est.

Dives opum, divès pictai vestis, & auri,
Vrbis erat primus, gaudens popularibus auris
Cura Deum effigies, cui & pia templa tueri
Lecta fuit, populos solus mandata per omnes
Ille dabat, Divumq; sibi poscebat honorem.
Hunc igitur placida laxat dum membra quiete,
Et nox contigerat cœli mediam humida metam
Talibus aggreditur, tali in discrimine rerum
Quid facis? aut quæ nunc animo sententia surgit?
Nonne vides latè ut te fervent omnia circum
Vnius obculpam, & furias, studiūq; nocendi,
Ille dolum dirumq; nefas sub pectore versat
Tēq; tuosq; cupit solio depellere ab alto
Rumpe moram, invisam culpam compesce priusquam
Dira per incautum serpant contagia vulgus,
Dede neci, & poenas inimico à sanguine posce:
Hæc ubi dicta dedit se oculis avertit & aufert
Vipeream inspirans animo mentem, ossibus ignes:
Olli somnum ingens rupit dolor ossaq; & artus
Perfudit toto proruptus corpore sudor.
Extemplò in furias ruit, & rabie æstuat atra
Incenditq; animum curis, atq; aggerat iras:
Ergo ubi prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens aurora cubile
Concilium magnum, procures, primosq; suorum
Imperio accitos alta intra limina cogit.
Panditur interior domus atria longa patefcunt.
Aurataq; trabes, veterum decora alta parentum.

Sceptra

Sceptra unde accipere, & primos attollere fasces
Patribus omen erat, hoc illis curia templum
Huc coeunt, ostro confidunt, incipit ipse.

Vatidici Mosis genus altò à sanguine Divum
Dicite, per cœli jucundum lumen & auras
Testor, num patrios vobis sit cura penateis
Et populum antiqua sub religione tueri?
Haud reor, imperio nam qui appulit advena nostro
Consilio versare dolos ingressus & astu
Omnia transformat, jam nulla potentia nostra est,
Inq; dies avidum surgens caput altius effert.
Quin delubra Deum magno constructa labore
Eruere intentat, rursusq; educere ad auras
Tertia lux postquam coelo dimoverit umbram.
Et nemo ex numero tanto se opponere tentat.

O Patria ô Divum domus, Inclyta gloria quondam
Hæbrææ gentis, multos dominata per annos
Quo tua nunc cessit virtus, animiq; viriles?
Iam Romanæ acies venient, turbante tumultu,
Et tua diripient inimicæ viscera gentes:
An non (donec adhuc facilis jactura ruinæ)
Expediit ô multum? cunctis pro talibus unam
Objectare animam, & sceleratas sumere poenas?
Morte luat, mortem hæc crudelia crimina poscunt;
Assensere omnes, & quæ sibi quisq; putabant
Noxia, in exitium mileri conversâ tulerunt.

Mons urbe egressis fuerat, lætissimus umbra
In medio lucus, cum sylvis scena coruscis.
Hunc rivi passim, tum flumina sacra suluro
Ambibant leni, alta domus vivacis olivæ,
Quo te, vota patri solvens, cum primus Eous
Lutrabat terras, vel cum nox humida cursus
Torquebat medios, vel primos, Christe ferebas;

Novit

Novit & ipse locum Iudas qui fraude catervæ
Iunctus erat lectæ, Dominus quam sorte suprema
Delegit comitem, rerum testemq; suarum:
Hic thalamum invalit matris, vetitosq; hymenæos
Et patri vitam lethali funere ademit
Impius, & superos memores fandi atq; nefandi
Immemor, & scelere ante alios immanior omnes:
Insidijs cujus mens effera, ne quid inausum.
Aut intentatum, fraudisve, dolive fuisset,
Delectos populi ad procures, omnemq; senatum
Venit, multa malus simulans, & pectora dictis
Permulcens, tacitos mihi soli aperire recessus
Fas ait, arcanos mihi soli credere sensus
Ille ausus, curas partiri, atq; omnia soli,
Ponite quod memoro precium, hoc ut pignore firmer
Ipse ego quando petet consueta cubilia montis
Ne qua scire dolos aut letho occurrere posset
In secreta loci vos ducam, aditumq; docebo:
Vix ea fatus erat quum læti præmia spondent.
Quo magis inceptum peragat, ter dena talenta
Argenti, tanti precium memorabile facti.

Fortè die solennem illo plebs omnis honorem
Coelicolum Regi sacrata ad templa ferebat
More patrum recolens, signatos sanguine postes
Paschalifq; agni mensas, mysteria coeli.
Et tandem victrix Pharijs ut dum exit ab arvis
Curvata in montis faciem circumstetit unda
Et mare divisit sese cumulante profundo
Accepitq; sinu Regem, misitq; sub amnem.

Ergo ubi devexo propior fit vesper olympo
Annua sacra pia Christus quoq; mente revolvens
Cum socijs collem pura sub nocte virentem
Excelsi ingressus montis iuga summa petivit.

Olli

Olli se sternunt diverso in gramine somno.
At non accipit, aut oculis, aut pectore noctem
Heros, sed geminas tendens ad sidera palmas
Multa patrem poscit, votisq; altum æthera complet.
Ter se se attollens, ter stratus corpore terræ.
Sanguineus manare cruor ter pectore coepit,
Horrebat namq; hoc mortali traxit ab alvo.

Et jam instructa phalanx, scelerisq; inventor Iudas
A Solymis tacitæ per opaca silentia lunæ.
Stipitis hic gravidi nodis armatus, hic hasta,
Ente caput nudo hic, telum quod cuique repertum,
Tendebat nota gressum regione viarum.
Vix loca prima petunt, cum se venientibus heros
Offert, & prior his: juvenes quæ causa subegit
Nocturnas tentare vias? quò tenditis? inquit.
Quid petitis? me ne? En coram quem quæritis adsum.
Dicte num causa hæc? nec plura effatus, at illi
Prostrati ad vocem procumbunt, donec Iudas
Composuit sese, & ficto dedit oscula vultu.

Infelix Iuda, quæ tanta infania mentem
Implicuit, cur hæc animo sententia sedit?
Quam melius mutare fuit, proh quanta malorum
Magnorum, tormenta geris, quot tela, quot ignes,
Auri sacra fames, & habendi stulta cupido:

Tum clamore ruunt, & stupea vincula collo
Inijciunt, vinctumq; manu ad prætoria ducunt:
Vndiq; visendi studio ludæa juvenus
Circum fusa volat, certanq; illudere vincto!

Quis cladem illius noctis? quis verbera fando
Explicit? aut æquet lacrymis, aut voce dolorem?
Hic saniem eructans faciem spuit, ille lacepsit
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra:
Nec mora nec requies, errat sacra tempora circum

B

Crebra

Crebra manus, duro crepitant subvulnere malæ,
Irridetq; alius motans caput, oraq; turpi
Diducit rictu, nutat, niſtatq; labatq;
Dependent lychni, & tenebras funalia vincunt

Postera lux latum ut radijs impleverat orbem.
Rurfus concilium, cunctis ex more vocatis
Conclamant: parent; ævo tum maximus Annas
Conſurgit, ſariq; jubet, quo ſanguine cretus:
Qui ſit? quid memoret? capto fiducia quanta?
Ille nihil, nec eum quærentem vana moratur.
Sed dehinc natum hominis, cæleſti ſede receptum
Et tandem rurfum venientem è nube ſerena
Ius dictum terris, oculis ſpectabit inquit:

Tum ſciſſa Caiphas bachatur veſte ſacerdos.
Et procul incuſſum teſtes, nam cuius egentes?
Perditus ipſe ſuo num ſe non prodidit ore.
Vos animam hanc, meritum ut, crudeli abſumite letho:
Sed quoniam non nos quenquam demittere morti
Fas aut jura ſinunt. Romani ad præſidis ædes
Ducite, & inviſam quam primum abrumpite peſtem,
Hæc ubi dicta dedit, ſolio ſe tollit ab alto.
Tunc omnes idem ardor agit, rapiuntq; trahuntq;
Dede neci ingeminant, ſtrepitu tectum omne repletur
Horriſono, reboat domus, obuius ille recuſat
Prodere voce ſua innocuum, aut opponere morti.
Multa viri virtus animo, multuſq; recurſat
Oris honos, hærent infixi pectore vultus.
Vix tandem magnis populi clamoribus actus
Invitus rumpit vocem, illum & deſtinat aræ:
Hic Chlamyde induitur, gemmis, oſtroq; ſuperbo.
Atq; altè effultus ſublimi ſede locatur,
Circumſtant fremitu denſo, ſtipantq; frequentes
Certatiq; ſonant ronchos, regemq; ſalutant

Et tandem

Et tandem ingentem decifis undiq; ramis
Imponunt humeris pinum, quæ pondere preſſos
Artus tarda tenet, quatit æger anhelitus ora.
Donec per medios à manibus altior exit:

Interea Iudas domino qui prætulit aurum
Cuncta videns, magno curarum fluctuat æſtu.
Incepti piget, & cœli convexa tueri.
Tædet, mortem orat, gliscit violentia facti
Se cauſam clamat, crimenq; caputq; malorum:
Poſt ubi concepit furias mens, fluctuat intus
Incertus, num ſe mucrone ob dedecus ingens
Induat, & crudum per coſtas exigat enſem.
Præcipiti an ſaltu jaciatur de culmine rupis.


Hæc alternanti potior ſententia viſa eſt.
Urbe, domo egreſſus, ſylvæ ſuccedit opacæ,
Et nodum informis lethi trabe neſcit ab alta:
Hæc ſinis Iudæ factorum, hic exitus illum
Sorte tulit, Iudæ ſimiles hæc poenâ manebit:

Tum ſtudio effuſæ matres & vulgus inermes
Ponè ſubit, ſævam incendunt clamoribus urbem.
Erumpunt portis, nuſquam mora, legnior ille
Inſequitur, verbis ſlentēſq; affatur amicis:
Devenère locos humana cœde rubentes.
Supplicia, & poenas, damnati crimine mortis
Pendere quæſ tristes juſſi, illic plurima fuſo
Sanguine terra madens, tetrum exhalabat odorem.
Ora virum triſti ſqualebant pallida tabo.
Hic humeros nudum, totumq; à vertice corpus
Multa viligno affigunt, tolluntq; ſub auras.
Et geminos juſta ſuſpendunt ſorte latrones
Hinc atq; hinc circum, pendet lacrymabile corpus
In medio, nec dum morienti illudere ceſſant
Sed ſiſto motant riſu caput, undiq; donec.

Paulatim

Paulatim exolvit se corpore, lentaq; colla
Et pressum letho posuit caput, atq; quievit
Ecce autem aspiciens, indigna morte peremptum
Sol, caput obscura nitidum ferrugine texit.
Impiaq; horrebant æternam secula noctem.
Insolitis rupes tremuerunt motibus, urbe &
Errabant simulacra modis pallentia miris.
(Horrendum) sistunt amnes, vndæq; retardant
Cursus, illacrymat templis ebur, æraq; sudant.
Obscæniq; canes, importunæq; volucres
Ostendunt se, saxa crepant, terræq; dehiscunt.

Post ubi purpureos properabat mergere currus
Oceano Titan, Iosephus justissimus unus
Qui fuit ex illis, & servantissimus æqui,
Romulidem aggreditur, veniam orans, corpus humandum
Redderet, ac sineret tumulo succedere terræ:
Imperat is tolli, lavat hic, conditq; sepulchro.



SPIRITVI SANCTO
DEO, HOMINUM ANTI-
CIPATORI

ὑποθεσις.
πνεῦμα θεῶν, θεὸς ἐστὶν ὅτε κλέος ὑποτ' ὀλεῖται,
ὥς μόνος ὃν πιστοῖς πρᾶγματα πάντα τελεῖ.



P R A G A

Typis M. Danielis Adami

Anno Sal. hum.

M. D. XCII.